



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-157439-p0001-7

DFG







1714.

1. Baier, Johann Wolfgang : De justificacione  
arresti
- 2<sup>a</sup> Fichtner, Joh. Georgius : De principiis. Von der Wit  
Serua. 2 Bausl.
- 3<sup>a</sup> Fichtner, Joh. Georgius : De parte justitiae. 2 Bausl.  
1714 - 1722

4<sup>a</sup> Hildebrandt, Henricus : Tractatio universorum  
Iam mores habuerunt compendio coniuncti. Serata.  
9 Sept 1714 - 1738.

5. Hoeger, Johann Christophorus : De usus condicioneis  
causa data, causa non secunda.
6. Thiel, Johann Georgius : De posuisse et dubium  
non resurgens
7. Kretzschmar, Joh. David : De induito libro posticis Thes  
saurus

8. Lintzmayr, Johannes Tongus: *De observationis  
9<sup>o</sup>, 10<sup>o</sup>, 11<sup>o</sup> Muller, Michael Christoff: De jure feiniorum  
secula praefectoria persequunt'. 3 Bandi.  
1744, 1762 et 1786*
10. Braun, Sigismund Ferdinand: *De beneficio am-  
plius ab religione.*
11. Rindor, Christopher & Danus: *De privilegiis  
et iustis*
12. Rinck, Lukas Muller: *De aqua calida  
occasione legis et gnomae.*
13. Schurquin, Christianus Gott: *De collegio  
uteri culario organi.*





13  
DISPV TATIO IN AVGVR ALIS  
*DE*  
BENEFICIO EMI-  
GRANDI OB RELI-  
GIONEM,

*SECVNDVM MANVDCTI<sup>N</sup>ONEM  
PAC. REL. ET INSTR. PAC. WESTPH.*

# QVAM JEHOVA JUVANTE,

**EX DECRETO**

# MAGNIFICI ET INCLVTI

# JCTORVM

IN CELEBERRIMA NORICORVM  
VNIVERSITATE  
ORDINIS,

## ORDINIS,

**PRO**  
**SVM MIS IN VTROQVE JVRE**  
**HONORIBVS AC IMMVNITATIBVS**  
**RITE OBTINENDIS,**

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORVM DISQVISITIONI  
SUBJICIT

DIE MAJI, AN. MDCCXIV.

SIGISMVND. FERDINANDVS ~~BOHEMI~~  
NORIMB.

*ALTORFII,*  
**LITERIS MAGNI DANIELIS MEYER**



ILLVSTRIS S. ROM. IMP. REIPUBLICAE  
NORIMBERGENSIS  
**SENATVI ILLVSTRI,**  
**VIRIS**  
GENEROSISSIMAE PROSAPIAE AN-  
TIQVITATE MAXIME CONSPICVIS, DE IM-  
PERIO ET PATRIA INSIGNITER MERITIS, EXIMIA  
PRVDENTIA, MVLTOQVE RERVM VSV  
EMINENTISSIMIS, SPLENDIDISSIMIS  
**DOMINIS**  
**DVVMVIRIS,**  
**TRIVMVIRIS,**  
**SEPTEMVIRIS,**  
**SCHOLARCHIS,**  
**CONSVLIBVS**  
RELIQVISQUE  
**SENATORIBVS,**  
**PATRIAE PATRIBVS CONSCRIPTIS**  
**PIIS, FELICIBVS,**  
DOMINIS SVIS BENIGNIS AC MAECENATIBVS  
OMNIS HONORIS CVLTV PROSEQVENDIS,  
DEBITVM OBSEQVIVM, OBSERVANTIAMQVE TESTATVRVS,  
*TVM*  
PROOPENSO EORVM FAVORI  
STYDIA, FORTVNAMQVE SVAM HVMILLIME COMMENDATVRVS,  
PAGINAS HASCE QVALES CVNQVE  
EA, QVA PAR EST, ANIMI SVBMISSIONE OFFERT  
OBSEQUENTISSIMAS CLIENS  
AVTOR.



QVOD FELIX FAVSTVM  
FORTVNATVM QVE NVMEN  
DIVINVM ESSE JVBEAT!

**E**xilium persæpe sequi incommoda,  
paupertatem, ignominiam, contem-  
ptum, imo præsentissima mortis pe-  
ricula, indeq; morte molestius mul-  
tis existimari, experientia rerum  
magistra omni dubitationi eximit;  
Ipja etiam loci commutatio acerbi  
quid afferre & carere patria intor-  
lerabile esse videtur. Seneca qui-  
dem epist. 24. ait: Exul siam? ibi  
me natum putabo, quo mittar. Item alii Philosophi se eo con-  
solati sunt: omnem orbem terrarum unam esse urbem, non  
posse autem quem exculare extra mundum, quocunq; abierit,  
ibi erit sol, ibi luna, ibi stellæ, somnia &c. Quantulum ergo  
erit, quod perdimus? Duo, inquit Seneca in Lib. de Consol.  
ad Helv. c. 8. in fin. quæ pulcherrima sunt, quocunq; nos mo-  
verimus, sequentur: Natura communis & propria virtus.  
Quicquid optimum homini est, id extra humanam potentiam  
jacet: nec dari, nec eripi potest. Interim tamen necessitas du-  
rum telum est, & certo respectu multo durius ius, qui exilium  
non meruerunt. Exempli loco esse possunt, qui religionis causa  
ejiciunt.

A 2

ejiciuntur ; Hinc etiam hisce jura variis modis prospexerunt :  
 Sic in Germania nemini ob religionem ex tribus in illa receptis  
 exilium injungi potest : E contrario is , qui diversam a Do-  
 mino territorii profitetur religionem , ad consequendum liberius  
 ejus exercitium , aut ad evitandas , quibus obnoxius esse solet ,  
 calamitates pro lubitu emigrare valet , ita ut locum hic sibi  
 vindicet dictum Ciceronis in Orat. pro Caecina : Exilium  
 non supplicium est , sed perfagium , portusq; supplicii : nam qui  
 volunt poenam aliquam subterfugere aut calamitatem , eo sol-  
 lum vertunt . Olim scil. jure Romano civitatem remo un-  
 quam populi jussu amittebat invitus . Cicero pro Domo sua.  
 Dici igitur potest illa migratio species exilii voluntarii ; In  
 Instrumento Pacis Westphalicae vocatur beneficium emigrandi ,  
 in quo , ut & in Pace Religiosa ejus sedes primaria est . De  
 hac autem specie exilii voluntarii , si ve de Beneficio emigran-  
 di ob religionem nonnulla in praesens loco Disputationis in-  
 auguralis conscribere constitui , siquidem hac de re Disputatio  
 ulla specialis ad notitiam meam hactenus haud pervenit ;  
 Non nescio tamen , multos esse Tractatus , illam incidenter ,  
 sed non solam , diffusissime non minus , quam eruditissime illu-  
 strantes : Certe nihil dici potest , quod non dictum sit prius .  
 Verum morem in veteratum atq; adbuc laudabiliter observa-  
 tum , & a me observandum esse duxi , buncq; in finem hanc  
 paginas qualescunq; censuræ ac examini publico submittere vo-  
 luit . Si qui errores præter voluntatem irrepserint , nec in o-  
 mnibus debito modo versatus fuero , id communi hominum  
 conditioni juxta monitum Imperatoris Justiniani in l. 2. S. 14.  
 C. de vet. jur. encl. nec non gravitati argumenti quisq; fa-  
 cile condonabit . DEVS vero Ter Optimus , Maximus , au-  
 xilio suo Di-vino mibi adsit , & hocce institutum , ut & omnes  
 meas actiones in sui Nominis Di-vini sempiternam gloriam  
 & proximi salutem vergere faciat .

PARS

PARS PRIOR  
*GENERALIA DE BENEFICIO  
 EMIGRANDI TRACTANS.*

§. I.

**M**ANUM Dissertationi huic admovens non incongrue ejus initium fieri persuasus sum ab indagatione verborum ac nominum, cum, ut necessitatem ac utilitatem hujus rei jam silentio præterea, more majorum quod sit, recte ac decenter fiat. Cic. *de Legib.* Hinc etiam Jurisconsulti quamplurimi hujus rei semper fuere studiosissimi. Calvin. *Lexic. Jurid. in dedicat.*

II.

Vox beneficii autem constat ex particula: bene, & verbo: facere. Hinc quoque vocatur benefactum, officium benigne præstitum, quamvis & adhuc aliis insigniatur nominibus: Sic interdum dicitur privilegium, vid. l. 3. ff. *de const. Princ.* interdum jus, interdum facultas, interdum potestas. Notandum hic, olim beneficii vocabulo in profanis plerunque venisse Feudum, in sacris & spiritualibus sacerdotium. Calvin. *in Lexic. Jurid. Hottom. in Comm. verb. Jur.*

III.

Beneficium vero proprie id est, quod quis dedit, cum illi licet & non dare, Seneca *de benefic.* Lib. 3. c. 19. Idem d. l. c. 22. dicit: Ubi vero id præstítit, quod nolle licuit, voluisse laudandum est; Plures tamen sortitus in Jure significatus: Non nunquam enim denotat operam, culpam, delictum, vid. l. 40. ff. *de furt.*

*furt. l. 40. §. 1. ff. de damn. inf. l. 7. ff. in fin. comm. divid.* Sæpius etiam quodvis commodum & emolumentum. Inde nomen beneficii bonorum possessionis, quod & commodum dicitur in *l. 5. ff. de bon. poss. cont. tab.* Inde porro nomen beneficii restitutio-  
nis in integrum ex capite læsionis ultra dimidium, cum tamen id rationi congruum, adeoque non simpliciter arbitrii nostri esse agnoscat. *l. 2. C. de rescind. vend.* item ex capite ætatis, licet ex juris necessitate quodammodo fluat. Calvin. & Hottom. est. loc. In eodem significatu beneficium hic nos accipimus.

## IV.

Etymologia verbi emigrationis cuivis obvia est, dicitur nempe a verbo: emigrare. Accipitur autem partim & principaliter in Jure Civili pro jure privati cujusque inquilini migrandi ex ædibus, aliove prædio conducto cum rebus suis illatis, vid. tamen Calvin. *Lex. Jur. b. v.* tempore locationis im-  
plete, sive non impleto. *l. 27. §. 1. ff. loc. cond. l. 28. ff. de damn. inf.* Hinc etiam in Digestis Interdictum prohibitorum de migran-  
do, quo Prætor prohibet, vim fieri inquilino (h. e. qui prædi-  
um urbanum conductum habet, nam rusticum præmium con-  
ductum habens dicitur Colonus, cui extra ordinem subvenitur  
*l. 1. §. 2. ff. de migrando) migranti, & res illatas locatori non op-*  
pignoratas in aliud locum transferenti. *l. 1. pr. d. t.*

## V.

Consuetum autem fuerat Romanis, Kalendis Quintilibus seu Juliis e domo conducta migrare, ut & locationem inchoare, ac mercedes exsolvere. *l. 9. ff. qui pot. in pign. l. 41. ff. de contrah. emst. l. 60. ff. locat. l. 12. ff. de precar.* & Gothofr. ad dd. II. Mar-  
tialis *Lib. 12. Epigramm. 32.* scribit:

O Juliarum dedecus Kalendarum,  
Vidè Vacerra sarcinas tuas, vidi:  
Quas non retentas pensione pro bima  
Portabat uxor.

Apud

Apud Sueton. in Tiber. *cap. 35.* legitur: Tiberium Senatori Iatum clavum ademisse, cum cognovisset, sub Kalend. Julii demigrasse in hortos, quo viius post diem ædes in urbe conducederet.

*VI.*

Pariter tamen & Kalendis Martiis, quas foemineas vocat Juvenalis *Sat. o. v. 53.* & Saturnalia foeminarum Martialis *Lib. 5.* *Epiogr. 85.* siquidem foeminis solennes erant. Sueton. in Tit. Ve-  
spas. *cap. 19.* nonnunquam migrationes siebant, atque locatio-  
nes fundorum ac prædiorum incipiebant. *l. 58. ff. de usufr. Go-*  
*thofr. adl. 9. ff. qui pot. in pign. Calvin.* quippe quas primum olim  
fuisse diem constat. Hinc munera, quæ strenæ vocantur, olim  
eo die mitti consuevere, v. Tibull. *Lib. 3. Eleg. 1.* & Plaut. *in*  
*milit. glor.* præsertim sequiori sexui ob modo dictam rationem;  
unde quoque *l. 31. §. 8. ff. de donat. int. vir. & ux.* donationem  
hisce Kalendis uxori factam validam declarat, cum alias regu-  
lariter ejusmodi donationes non valeant.

*VII.*

Deinde etiam emigratio accipitur partim in genere pro fa-  
cultate transferendi domicilium de loco ad locum, & par-  
tim in specie pro jure emigrandi ob religionem, de qua  
potissimum hic agere animus est; nonnulla tamen antea de  
emigratione in genere dicturus sum.

*IX.*

Hæcce nimirum descendit ex libertate naturali, quæ ho-  
minem nulli glebæ aut loco adscriptis, quandoque etiam ex  
coactione vel iussu Superioris. Hinc est vel necessaria vel vo-  
luntaria, utraque rursus vel laudabilis, vel vituperabilis, vel  
indiferens, pro diversitate causæ impulsivæ, vel finalis. Non  
omnibus enim eadem causa relinquendi quærendive patriam  
est. Conf. omnino Senec. *de Consolat. ad Helv. cap. 6.*

*IX. Ne.*

***IX.***

Necessaria laudabilis est, quando quis migrare tenetur v. g. ob religionem, legationem, aliudve munus perpetuum & dignitatem semel suscepit, item ob militiam. Vituperabilis est in relegatis, bannitis & deportatis in insulam, si scilicet ipsis haec poena sint inflictæ ob delictum aliquod commissum. Necessaria indifferens emigratio aliquatenus dici potest eorum, qui ob periculum belli, vim hostium, aërem contagiosum, & excidium loci discedunt.

***X.***

Voluntaria laudabilis rursus accedit ob religionem, quando scilicet quis ejus exercitii gratia, neque jure neque vi adactus domicilium mutat, item si quis studiorum gratia in commodum publicum, & ad informandos alios in literis aut artibus, solum vertit, absque injuncta necessitate officii, quo referendi sunt Doctores privati in Academiis, artifices, & milites voluntarii. Vituperandi sunt e contrario illi, qui ob conscientiam criminis, metum poenæ, vel ob urgens æs alienum petulanter ac propria culpa contractum, quo pertinent decoctores, sese oculis concivium subtrahunt; pariter qui ob contumaciam & impatientiam freni magistratus, aut onerum publicorum, se alio conferunt, cum quilibet civis bonus praesenti reipubl. statu debeat esse contentus. Indifferens denique est discessus voluntarius eorum, qui propriæ commoditatis, mercaturæ, alteriusve lucri causa civitatem mutant.

***XI.***

Constitui quidem posset & tertia species emigrationis, quam mixtam vocant, quæ nempe fit partim coacte, partim voluntarie. Sed cum saltem hæc subtilitatem quandam sapiat, e re mihi visum est, ejusmodi mixtas migrationes ad voluntariam vel necessariam referre, prout uni vel alteri proprius accedere videtur.

***XII. Ne-***

**XII.**

Necessario itaque ii migrare dicuntur, quos vel belli vel alia calamitas, vel jussus aut vis Superiorum, vel proprium delictum, vel muneris ratio alio se transferre compellit; Voluntarie autem illi e civitate exire videntur, quos legibus aut vi ad id non adstrictos, vel salutis publicæ & aliorum, vel religionis amor & cupidio liberi ejus exercitii, vel conscientia criminis & metus poenæ, vel animus refractarius & statu Reip. præsente non contentus, vel commoditas & speratum lucrum evocat.

**XIII.**

Ex hisce jam facile dijudicare licet, quibus casibus licite emigrari & prius domicilium tolli possit etiam invitis Superioribus, de quibus quoque præcipue hic mihi sermo erit, quamvis hoc nunquam fieri posse afferere videantur Arnisæus *Lib. I. Doctrin. polit. cap. 6.* & Dn. Hert. in not. ad Pufend. *J. N. & G. Lib. 8. cap. II. §. 2.* Ast hoc contrariatur libertati naturali, quippe cum natura, ut supra jam paucis innui, nos certo loco non affixerit, quasi adscriptitios, sed totum orbem inhabitandi facultatem concesserit, ita ut patria sit, ubicunque bene est; Imo quidam, subditos contra naturam, vi nimirum & violentia quadam factos & introductos esse ad ravim usque clamitant, quibus tamen haud adstipulor. Hanc libertatem vero naturalem quilibet civitati se adjungens sibi reservasse præsumitur, cum restrictio illius sit odiosa, adeoque non extendenda.

**XIV.**

Cum autem hac ratione hæc libertas ex jure subditorum, non ex gratia Principum fluat, fortassis minus recte beneficium vocari videbitur, cum arbitrium dandi hac in re penes Principes non sit. Verum quia isti libertati & juri, statuto & moribus derogari potest, *Mev. ad Jus Luber. Lib. I. Tit. 2. art. 2.*

B

Stamm.

Stamm. de servit. personal. Lib. 3. c. 12. n. 11. hoc intuitu aliquatenus beneficium appellari potest. Deinde supra jam monimus, beneficium hic nobis esse idem, quod commodum sive emolumenntum.

### XV.

Hoc commodo igitur, mutandi lares, domum & dominium, frui liberis hominibus licere, juri ac rationi naturali conveniens est, si scil. circa eam rem nullæ extent Leges, nec consuetudo contrarietur. Certe receptio in civem est beneficium, quod invitus nec acquirit, nec retinet. l. 69. ff. de R. J. l. 19. §. 2. ff. de Donat.

### XVI.

Nec obstat duplex pactum, quo civitas firmari traditur, quorum uno futuri cives singuli singulis, se in unum & perpetuum coetum coire, suæque salutis ac securitatis rationes communi consilio ductuque administrare velle promittunt, & quorum altero ille vel illi, in quem vel quos regimen coetus confertur, ad curam communis securitatis & salutis, reliqui ad obsequium his præstandum sese obstringunt. Pufend. Lib. 7. c. 2. §. 7. 8. Hert. in Dissert. de mod. constit. civit. Sect. I. §. 2. 3.

### XVII.

Nam sicuti a privatis societatibus licet recedere causa superveniente, etiamsi ad dies vita contractæ sint; Ita quoque non video, quid obstat, cur itidem non liceat discedere a societate civili causa superveniente. Imo concessso, quod tali casu contra tenorem pacti quis agat, non tamen agit contra mentem ac intentionem pacientium, qui hanc conditionem tacite subintelligi volunt: nisi prægnans causa urgeat mutationem, Philoparchi Fluger Beambter Part. 2. Tit. 36. §. 12. in fin. aut modo societatis non intersit. Ipse Dn. Hertius, qui tamen dissentire videtur in not. ad Pufend. d. l. dicit: Si nullo vel

vel exiguo civitatis commodo discessum & simul fortunam ci-  
vis remoretur, summus imperans haud dubie peccat. Sic pa-  
riter Princeps haud obligatur observare Leges sibi præscriptas,  
si quandoque iis salus Reipubl. minime promoveatur. Cer-  
tum quidem est, leges acceptas exigere observationem exactissi-  
mam; Verum salus Reip. & ejus verum interesse magis obli-  
gat, secundum regulam tritissimam: Salus Reipublicæ suprema  
Lex esto.

**XVIII.**

Neque etiam ideo deterior fit conditio civitatis, quam  
singulorum civium, quod hi pro lubitu migrare possint; illa in-  
vitos pellere nequeat. Qui enim in civitatem aliquam con-  
cedit, utique omnes suas rationes saltem in præsens eidem vel-  
uti illigat, quas turbari aut everti necessum foret, si quolibet  
tempore posset expelli. Quod cum sit summe odiosum, inde  
civis hoc quoque abs civitate velut stipulari intelligitur, ne in-  
vitus præter meritum possit ejici. Sed contra civitas fortu-  
nas suas & incolumitatem uni alterive vulgari civi non super-  
struxit, adeoque nihil aut parum ipsius interest, si is pro lubitu  
demigret. Ubi enim in aliquo eximio cive magnam colloca-  
rit fiduciam civitas, solet eundem peculiaribus pactis adstringe-  
re, ne pro lubitu discedere amplius possit. Nec invidendum  
est, plusculum hic licere civi quam civitati. Nam ubi ille ad  
arbitrium civitatis fese non composuerit, facile potest in ordi-  
nem redigi. Civi autem si administratio reipublicæ displicue-  
rit, nihil aliud relictum, quam patientia aut emigratio, Pufend.  
*L. 8. c. II. §. 6.*

**XIX.**

Huc quoque faciunt verba Grotii in *L. 2. c. 6. §. 6.* pars  
utitur jure, quod ante societatem initam habuit, corpus non  
item. Illius enim jus antiquius est, & ab ipsa natura; at corpo-  
ris jus solummodo originem suam trahit a consensu, qui poste-  
rior

tior est ipsa natura. Nec est, quod dicatur, civitatem in singulos habere maximum jus etiam vita ac necis. Grot. *L. 2. c. 5. §. 23. & c. 25. §. 3.n. 4.* Nam hoc verum est tamdiu, quamdiu quis manet in civitate & pars est. Accedit, quod communior sit Politicorum opinio, Principem esse propter subditos, non subditos propter Principem, quia subditi sunt priores tempore & natura, & constituunt reges. *Dexter. 17. v. 14. 15. Conf. Pan-*  
*sa Excerpt. polit. Disput. 9. quest. 1.*

## XX.

Hinc porro hæc libertas migrandi, atque relæcta civitate una in aliam concedendi pariter Juri Civili Romano congrua. vid. *l. 71. §. 2. ff. de condit. & demonstrat. l. 5. §. 3. ff. de capt. & postl. reversi. l. 31. ff. ad Municip. l. 28. §. 1. ff. ex quib. caus. maj.* (Jure nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque si velit mutare, non potest, inquit Cicero in *Orat. pro Balbo*) ac in Germania usitata est. A. B. c. 16. Knipschildt de *Jur. Civ. Imp. L. 2. T. 20. n. 2.* Gail. *2. O. 36.* & ita quidem, ut distinctio, qua olim adhibita inter Domicilium originale sive naturale, accidentale, & commune obtinuit, ut Domicilium originis esset immutabile. *l. 6. ff. ad Municip. l. 4. C. eod.* Lauterb. *ad tit. ff. de judiciis.* Gail. *d. l. n. 4. 5.* hodie non amplius attendatur. Gail. *v. 7.*

## XXI.

Migraturus tamen ex debito aut decoro discessum suum indicare debet, cum civitatis plerunque inter sit, nosse civium numerum; Imo isti expressum civitatis consensum omnino requirere tenentur, qui ad peculiare munus, præcipue ad certum tempus sese obstrinxere. Pufend. *d. l.* Multo magis tempore belli, pestis, reformationis, alteriusve hujusmodi calamitatis ratione officii ad permanendum sunt constricti officiales & milites præsidarii, personæ magistratum & officia gerentes, Medici, in primis quoque Ministri Ecclesiæ, ne tanquam mercenarii

rii oves desertas lupo , aut alias absque solatio & assistentia,  
relinquere videantur. v. Evang. Johann. c. 10. v. 12. Conf. o-  
mnino Dedeckenn. *Confil. Theol. Vol. 1. Part. 3. Lib. 1. Memb. 3.*  
*Sect. 4. num. 1.*

**XXII.**

Naturalis æquitas porro exigit, ut discessus fiat tempesti-  
ve , & observari vult regulam , quam Romani in privatis socie-  
tibus dirimendis secuti sunt , ut id non licet , si societatis in-  
tersit. Grot. L. 2. c. 5. §. 24. n. 2. Nam magis , quod huic , quam  
quod uni ex sociis expedit , attendi solet. *I. actione. 65. §. Labeo.*  
*ff. pro soc.* Sic civis non emigrare potest in præjudicium reliquo-  
rum , ne debita communia cum reliquis solvere cogatur , in-  
primis si magnum contractum sit æs alienum , item si fiducia  
multitudinis bellum sit suscepsum , praesertim si obsidio immi-  
neat. Grot. d. I. Pro commodis enim perceptis onera & pe-  
ricula sustinenda sunt , eaque inique subterfugiuntur. Mev. *ad*  
*Jus Lubeo. Lib. 1. Tit. 2. art. 2. num. 71.*

**XXIII.**

Insuper ab emigrantibus requiritur , ut præstent præstanta ,  
R. I. de Anno 1555. §. Wo aber unsere. 24. A. B. c. 16. scilicet  
solvi debet , quod ex more aut Lege multarum civitatum a di-  
scendentibus pro emigratione requiritur , quale est census mi-  
grationis ; qui est tributum , quod migrantes magistratui , cui  
hoc jus in usu , etiam inferiori ac municipali ex observantia  
quorundam locorum , Ertel. in *Prax. aur. de Jurisdicç. infer.*  
*Lib. 1. cap. 29. obs. 1.* solvere coguntur , estque munus ordinari-  
um , v. Salzmanni *Disput. inaug. de muner. extraord. §. 9.* nostra  
lingua die *Nachsteuer* / quasi ultimi tributi præstatio ( *Steuer*  
enim tributum dicitur , Gail. 2. O. 52. n. 9. ) item *Abzug* &c. ap-  
pellatur , quamvis hæcce diversa esse doceat Knipschildt *Lib. 2.*  
*c. 20. n. 8.* sicuti etiam differre inter se jura migrationis & detra-  
ctionis tradunt Schyvanmann. *de jure detract. & emigr. cap. 1.*

ac Bilderbeck. *in not. ad eund.* Vocatur quoque decima, ideo quod decima pars plerunque pendatur; Sive vero decem, sive duodecim sive viginti solvantur, omnia secundum communem usum loquendi decimas appellari testatur Knipschildt *d. l. n. g.*

### *XXIV.*

Originem hujus gabellæ a vicesima illa hæreditatum, cuius vestigia extant in *l. 2. §. ab hoc ff. de O. J. & in l. fin. C. de Ed. D. Hadr. toll.* quidam deducere volunt, Schwanmann. & Knipschildt *dd. ll.* sed hanc derivationem esse frustaneam contendit Bilderbeck *d. l. conf. Ertel. c. l. obs. 3.* Quamvis vero, quo tempore hæc consuetudo enata sit, verius ignoretur, esse tamen in Germania nostra inveteratam & antiquam, testantur Doctores, & comprobant statuta, quæ in plerisque locis inveniuntur, teste Thoming. *Decis. 26. n. 38.* ubi num. 37. quæstionem tractat, an jure retorsionis civitati, ubi hoc jus alias non obtinet, liceat illud exercere erga eos, qui in locum, ubi in usu est, se conferunt, de qua similiter conferri potest Knipschildt *d. l. n. 16.* illam pro & contra ventilans, & tandem negative pronuncians.

### *XXV.*

Hæc jura emigrationis autem, sive tributa, cum rigida & odiosa esse videantur, multi dubitant, an recte introducantur, & æquitati consentanea sint? Et licet antiqua illa hæreditatum vicesima ab Imperatore Justiniano abrogata fuerit *d. l. ult. C. de Ed. D. Hadr. toll.* nihilominus tamen, cum Leges & consuetudines contra jus positivum induci & juri gentium ac naturali detrahere & addere, non illud penitus abrogare & tollere queant, arg. *l. 6. ff. de J. & J.* iniuriam haud sapit, hoc jus detractionis introducere, aut exercere, ubi statuto vel consuetudine introductum est. Certe est loco remunerationis jure antidotali debitæ pro privilegiis, subsidiis & protectione, qua quis

quis gavisus est, sive etiam loco compensationis pro collectis & aliis oneribus a Domino antea perceptis, quibus postea carere debet. Harpprecht. *Conf. Tubing.* Conf. 46. num. 82. Ertel. d. L. obf. 2. Mev. L. 2. T. 2. art. 4. n. 12. Adde, quod olim, quoconque se transtulerit civis originarius, jus originis retinuerit, l. 4. C. de municip. præcipue quoad munera & honores, & sic onera personalia. l. ult. C. d. t. Gail. 2. O. 36. n. 5. quod hodie, ut supra jam dictum est, in desuetudinem abiit. v. Vulteji *Diss. inaug.* de Cens. emigr. tb. 7. 8.

### XXVI.

Hinc quoque videmus, statuta & consuetudines ejusmodi haud obscure probari in R. I. *de An. 1594.* f. Und soviel. 82. ubi arresta pro justis ac licitis habentur, quibus Magistratus res & hereditates huic oneri obnoxias detinere solet. Imo per arresta tum personæ tum rerum iura migrationis non soluta persequi licet. Mev. d. l. n. 78. Gail. *de arrest.* c. ult. n. 12. Insuper is, qui absque solutione gabellæ consuetæ alio fraudulentè migrat, et si amplius juribus civitatis non fruatur, ad omnia tamen residua tenetur, donec debito modo renunciet, & pretium pro discessu solvat, atque insuper poena pecuniaria arbitraria affici potest. Bilderbeck. d. tr. *in append.* qu. 7. Gail. 2. O. 52. n. 20. adde l. filios. C. de municip. Nempe hunc censum exigentes habent remedia tam ordinaria quam extraordinaria, quæ late exponit Schmidt. *in Disp. inaug. de Cens. emigr. tb. 25.* Nam concessa potestate imponendi, sequitur potestas exigendi, & in consequentiam faciendi omnia illa, quæ ex ista sequuntur. l. il. l. 77. ff. *de acquir. hered.* l. 2. ff. *de Jurisd.*

### XXVII.

Necessitate tamen aut vi compulsi discedere ab hoc censu immunes sunt, modo hæc necessitas ex facto & culpa migrantis non procedat. Sic v. c. debitor negligentia vel malitia sua obæra-

obæratus, item qui ob delictum aliud e civitate discedere compellitur, nec non si quis sponte pietatis & conscientiae, veræque religionis amore ductus flebili illo & lamentabili emigrandi beneficio utatur, hi omnes, dico, decimam de bonis exsolvare tenentur. Secus est, si quis ob religionis confessionem e civitate non sponte migret, sed vi pellatur; ab ejusmodi enim tributum migrationis exigi jure non potest. vid. Syring. (prout se autor vocat) *Aur. Prax. Juris decim. in addit. 1. Decif. 120.* Schvyanmann. d. l. cap. 5. Ertel. d. l. obs. 5. & Pisetzky a Kranichfeld *de Stat. seculari addit. 7.* Contrarium tenet Bilderbeck. ad Schvyanm. d. l. cui & practica adstipulatur docente Knipschild. d. l. num. 39.

### *XXIX.*

Eiusmodi igitur dicto & debito modo secundum Leges discedens a novis oneribus liberatur, non tamen ab illis, quæ antejam imposita nondum præstít. l. 34. ff. *ad Municip. l. 1. C. de incol.*

### *XXIX.*

Eximitur quoque a Jurisdictione civitatis, a qua recessit, nisi liti jam cœptæ implicitus sit, quia judicium peragi debet, ubi cœptum est. c. 19. X. *de for. compet. clem. ult. X. ut lit. pend. nib. innov. l. 19. ff. de jurisdicç. l. 7. & 30. ff. de jud.* Imo nonnullis in civitatibus non aliter dimittitur, quam ea conditione, ut in omnibus causis & negotiis, quæ cum concivibus suis tempore civilegii sui gessit, coram illius Tribunalis conventus respondere velit, & ut Respublica de eo possit esse securior, desuper præstet juramentum. Wehner. *in observ. pract. ad voc. Burger-Recht.* Thilmann. *de Benign. Synt. 3. Dec. 3. vot. 5. num. 24. & 40.* Imo nonnulli hoc juris esse communis probare volunt per express. l. 2. C. *de Jurisdicç.* vid. Philoparchi *Klugen Beamtent/ P. 2. T. 36. §. 13. in fin.*

### *XXX. In*

XXX.

In Illustri Republ. patria intra annum ad idem sese obstrin-  
gere debet migrans, his fere formalibus: Wo aber Herren  
Bürgermeistere und Rath von gemeiner Stadt Nürnberg  
wegen Sprüch oder Forderung zu mir hätten / oder gewin-  
nen / um Sachen / die sich in Zeit meines Burger-Rechts  
verlauffen oder begeben hätten / soll und will ich ihnen in  
Jahrs-Frist nachst nach dato des Briefs darumben vor ei-  
nem jeglichen Römischen Kaiser oder König / oder der ge-  
nandten Stadt Windtshaim oder Weissenburg / einem  
Rath / und ihren Bürgern oder Bürgerinnen aber vor des  
Reichs Richter und Gericht daselbst zu Nürnberg Rechts  
seyn und pflegen.

XXXI.

Sæpius etiam ex quorundam locorum statutis, privilegiis  
vel observantia discedentes ultra certum milliarium spatium  
a priore domicilio se transferre coguntur. v. g. Ich soll und  
will auch in einer Meil- Wegs um die Stadt nirgends si-  
zen / noch sesshaft werden / es werde mir dann von einem  
Rath erlaubt.

XXXII.

Non autem semper sola translatio habitationis domicili-  
um tollit, quemadmodum nec constituit, sed & debet adesse vo-  
luntas ac animus perpetuo emanendi. Carpzov. Part. 1. Constit.  
3. def. 18. Lauterbach. Colleg. Theor. pract. ad Tit. D. ad Municip.  
§. 11.

XXXIII.

Hinc absentia a Domicilio ordinario , sine renunciatione  
illud non amittitur, nec novum in loco , ubi quis præsens est,  
contrahitur, nisi ille animus præsumi possit, & ex conjecturis  
C con-

concurrentibus appareat, v. c. si quis bona sua cum tota familia illuc transferat, bona, quæ alibi habuit, vendat, aut frequenter, perque longum tempus ibidem degat. Zanger. *de except. P. 2. c. 1. n. 13. & 18.* Decennium vero sufficere multi existimant propter *l. 2. C. de incol.* Mev. *ad Ius Lub. Lib. 1. Tit. 2. ad rubr. n. 63.* quod tamen saepius fallit, præcipue in iis, qui officii & professionis gratia praesentes sunt. Cothmann. *Vol. 1. Rep. 21. num. 96.* Hanc rem perplexam non immerito arbitrio judicis finiendam relinqu docet Carpzov. *2. Rep. 21. num. 9. 10. II.*

### XXXIV.

Ex assidua igitur unius loci habitatione & tractu temporis non firmiter infertur nec domicilii prioris amissio, nec novi constitutio. Inde etiam ejusmodi Forenses, qui propria significacione tales dicuntur, scilicet, qui neque origine, neque incolatu, neque domicilio de corpore civitatis sunt, vid. Philop. Klug. *Beamt. P. 2. T. 41. §. 1.* Cothmann. *d. l. n. 90.* Mev. *d. tr. quest. pralim. 4. num. 1. 2.* nec beneficiis statutorum fruuntur, Cothm. *n. 107.* nec Legibus loci tenentur. arg. *l. f. ff. de Jurisd. l. 63. ff. de adilit. edit. l. 170. ff. de R. J. Richter. P. 1. Decis. 3. n. 5.* nam actus Jurisdictionis, qualis est statuta condere, non potest exerceri contra non subditos. Cravett. *Conf. 195. num. 1.* Exceptiones tamen vide apud Mev. *d. l. n. 5. seqq.* & Philop. *c. 6. §. 3. seqq.*

### XXXV.

Interim plura quis potest diversis in locis figere domicilia *l. 6. §. 2. & l. 27. §. 2. ff. ad Municip.* Gail. *2. O. 35. n. 8.* & larem fore (quid id fuerit Romanis, videre est apud Zanger. *d. l. n. 8.*) plurium quoque civitatum jura assumere, non tamen invitis magistratibus, cum nec civitati, nec civi id proficuum videatur. Nam tenetur civis corpore & bonis suæ patriæ prodefesse: Jam si in-

SC 19. DS

si inhabitet duas civitates, operas suas utriusque dividere cogetur, ideoque neutri debitum poterit officium præstare, vid. omnino Arnif. *Polit. L. I. c. 6.* & Pansæ *excerpt. polit. Dissert. 4. quæst. 6.*

### XXXVI.

Inde olim jure Romano nemo poterat civis duarum esse civitatum, amittebaturque civitas, quando quis recipiebatur in aliam, teste Cicerone in *Orat. pro Cæcina. in fin. & in Orat. pro Balbo.*: Peritus vero, inquit, nostri juris ac moris, nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam se dicavit; & paulo post: O jura præclara, ne quis nostrum plus, quam unius civitatis esse possit; Dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat, necesse est.

### XXXVII.

Hinc præterea in A. B. c. 16. prohibitum est, in aliarum civitatum cives fraudulenter Domino vel nolente vel inscio recipi se procurare, & nihilominus in priorum Dominorum terris manere, cum deinde illarum juribus ac libertatibus gaudere velle in horum præjudicium vergere facile queat.

### XXXIX.

Ejusmodi autem homines Pfalburgeri communiter appellantur, & proprie ex sensu Aureæ Bullæ tales sunt. vid. Datt. de *Pac. publ. L. I. c. 14. §. 49. seqq.* Limn. ad A. B. c. 16. obf. 3. sèpius vero cum his Usburgeros & eos, qui Montleute dicuntur, confundi contingit. Datt. d l. n. 29. 43. 87. Quid sint Montleuti/ non omnes convenient. vid. Datt. n. 89. seqq. & Wehner. verb. *Montmann.*

### XXXIX.

Antiquissimæ de Pfalburgeris reperiuntur Ordinationes ac Constitutiones, prout id inter alias confirmat Constitutio

Rudolphi in Herbipolitanis Anno 1287. facta Comitiis, quæ in Lehmanni *Chronic. Spir. L. 5. c. 108.* tota extat, item Ludovici Imperatoris privilegium Spirensi Reip. An. 1315. indultum, & postea An. 1347. a Carolo confirmatum, Pfalburgeratum destruens. vid. Lehmann. *Chron. L. 7. c. 21.* Antiquiores adhuc & plures vide apud Datt. d. l. & in *Dissertation. ab aliquot J.Cis Westph. Clariss. collect. Differt.* Buxdorffii ad A.B. c. 16.

### XL.

Sic & A.B. c. l. illum abrogat, omnibus interdicens, dictis juribus potiri, nisi ad hujusmodi civitates corporaliter & realiter transeuntes, ibique larem foventes, continue & vere ac non sicut residentiam facientes debita onera & municipalia subeant munera in eisdem; quamvis huic prohibitioni non semper praestita sit obedientia, ut patet ex Constitutione Imperatoris Sigism. de Anno 1431. in qua cap. 16. A.B. expresse renovatur & confirmatur, nec non ex R. I. Trevir. & Colon. de Anno 1512. Part. 2. §. 17.

### XL I.

Unde autem nomen istud: Pfalburger, variæ sunt Doctorum opiniones. Conf. Cl. Vitriarii *Inst. Jur. Publ. Lib. 1. Tit. 22. §. 8.* ibique Pfeffinger. *in not. Wehner. in observ. pract. voc. Pfalburger / Besold. in Thes. Pract. ad id voc. Limn. ad A. B. cap. 16. obs. 6.*

### XL II.

Considerato haec tenus beneficio emigrandi in genere cum annexis quibusdam consecutaneis & affinibus, progrediendum nunc mihi est ad alteram & potiorem hujus Disputationis partem, nimurum ad Beneficium emigrandi ob religionem ex Pace Religiosa & Instrumento Pacis Westphalicae subditis in Imperio Romano-Germanico competens.

PARS

PARS POSTERIOR  
BENEFICIVM EMIGRANDI  
OB RELIGIONEM EXHIBENS.

§. I.

**C**AUSAM efficientem hoc beneficium cum aliis emigrationibus voluntariis communem habet libertatem naturalem, ac præter eam libertatem conscientiarum, in quas nemo mortalium imperium habet, ita ut maxime iniquum sit, subditos igne ac ferro ad religionem cogere. Contrariatur enim id exemplo & mandato Salvatoris nostri, qui invitos ac repugnantes ad Ecclesiam suam & doctrinam suam recipiendam in hac vita nec igne nec ferro, nec aliis hujus vitæ poenis aut earum metu cogi ac pertrahi voluit, sed poenam repudiatae vocationis in hoc Seculo ad judicium usque extremum sibi ipsi reservavit. *Luc. X. 10. Rom. II. 15. Luc. IX. 54. Matth. XIII. 24. 30.*

II.

Laetantius *Lib. 5. divin. institut. cap. 19. pag. 387. edition. Lipsiens.* cum notis Cellarii scribit: O quam honesta voluntate miseri errant; sentiunt enim, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi: Sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed monendo; non fævitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum; & necesse est, bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polueritur, atque violabitur. Nihil enim est tam voluntarium, quam religio, in qua, si animus sacrificantis aversus est, jam nulla est.

III.

Ipsi Ethnici hoc agnoverunt: Inde Curtius *Lib. 8. cap. 5.* num. 5. scribit: Nemo rex perinde animis imperare potest ac linguis. Mentium rex Deus est. Apud Livium *Lib. 39.* legitur, Lycortam dixisse ad Appium Claudium: Veremur quidem vos Romani, & si ita vultis, etiam timemus; sed plus & veremur & timemus Deos immortales.

IV.

Etiam Romanæ Ecclesiæ addicti moderatores ita sentiunt: Thuanus *in prefat. hist.* Ingenue, inquit, dicam, bellum non esse legitimum modum tollendæ ex Ecclesia scissuræ. Alio loco *d. pref.* scribit: Regem Henricum IV. insperato Dei nostræ saluti invigilantis beneficio in hæc tempora reservatum, stantis columnæ instar, labantem rempubl. fulcisse, perillustri exemplo per seipsum edito, cœtera Legibus humanis subjici, religionem solam nec cogi nec imperari posse.

V.

Maximilianus II. Imperator fama moderationis & justitiæ, sinceræque religionis amore ingens apud posteros dixisse fertur: Gravissimum esse scelus, conscientiis velle dominari, id vero esse coeli arcem invadere. vid. Cluver. *Epit. hist.* *Lib. 10. p. m. 734.* Huc quoque respicit Canon Concilii Toletani: Præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult, Deus miseretur, & quem vult, indurat. *c. 1. & c. 5. dist. 45. it. caus. 15. quest. 1. c. non est. & caus. 23. qu. 4. c. qui secundum carnem.* Certe infinita hac de re afferri possent dicta ac testimonia Patrum & aliorum.

VI.

Ast interest, inquis, civitatum, qua forma, quo ritu, quibus ceremoniis colatur Deus. Nempe ne conventus fiant, quo-

23.

quorum initii in rempubl. conjurationes, & adversus leges stu-  
pra, adulteria, incestus, cædes, parricidia, falsa testimonia,  
fraudesque cogitentur. Non est enim religio, qua pernicies  
humano generi inducatur, scelus est, cui prætexitur color re-  
ligionis. Id cum turbat disciplinam, & strigat finem civilis con-  
junctionis, non obstat Dei veneratio, cur non perinde ad seve-  
ritatem legum pertineat, ac si adhibita non esset imago religio-  
nis? Sic Bacchanalia ista foeda ac noxia Romæ atque in Italia  
coërcuit Senatus. Liv. Lib. 39. cap. 18. Nam majestati civili  
convenit, non permittere, ut seditione ac turbulenter veritas  
oppugnetur. Ceterum si innoxia sit religio, nec ad turpe at-  
que improbum deflectat facinus, sed virtutem juvet & bonos  
mores, sed agat, ut salva sit reipubl. reverentia, quid est, quod  
improbetur? Noodt in *Dissert. de relig. ab imp. jure gent. liber.*  
pag. 40. Conf. quoque Sleidan. in liter. Argentin. ad Casar. L. 21.  
p.m. 607. it. L. 26. p.m. 812. & Thuan. Lib. 79. p.m. 178.

## VII.

Ferdinandus I. Imperator in Epistola ad D. Martinum Lu-  
therum data: Animus noster, ait, quo antea in te fuimus satis  
infenso, clementior nunc erga te factus, atque (pro quo æter-  
nas Deo gratias agimus) eo nunc conversus, ut jam doctrinam  
tuam, dummodo scripturis biblicis atque divinis constanter in-  
hæreas, neque seditioni quid, aut quod contra Christum sit, ei-  
dem admisceas, bene ferre ac tolerare queamus. Matthiæ *Theatr.*  
*Histor. pag. m. 1086.* Gladius igitur nonnisi contra hæresiarchas  
formales, qui scil. non ex errore intellectus, sed pertinacia vo-  
luntatis doctrinam statum politicum turbantem ac evertentem  
defendunt, stringendus est, quicquid debito rigorosiores  
contra sentiant. Conf. omnino Carpz. P. 1. Pr. Crim. qu. 44.

## XIX.

Interim hoc Principi nihilominus curæ esse debet, ut una  
& vera religio vigeat, (esse enim secularis potestatis de religio-  
ne

ne cogitare, hodie communior etiam Catholicorum est sententia, quicquid Clerus contradicat, vid. Multz. *Repræf. Majest. Imper. Part. 2. cap. 33. membr. 1. §. 4. num. 229.* Schütz. *Manual. Pacifico. quest. 1.* ibique Borrom. in *not. Seckendorffs Deutschen Fürsten-Staat part. 2. cap. 11. seqq.* quamvis nec negari possit, potestatem in Ecclesiasticis Imperatori per Pontifices maximam partem esse ademtam. vid. B. Dn. Heheri *Beschreibung des H. Röm. Reichs Deutscher Nation Part. 3. cap. 8.*) cum, sicuti alias, ita quoque circa fidei negotium concordia nihil sit felicius, suavius nihil. E contrario ubi religionum diversitas, ibi perpetuae rixæ, contentiones assidue, & seditiones creberrimæ. Dn. Philipp. Camerar. *Cent. 1. medit. hist. cap. 83.*

## IX.

Sed quomodo id curare beat, id plenum difficultatis opus est; Ante omnia quidem modis licitis uti debet, cives ad religionem veram perducendi; quid si vero eos ad falsam cogere velit? Hoc certum est, eos, qui ideo per vim superioris ejiciuntur, aut alio modo premuntur, rectissime facere, si occulto Dei judicio morem gerant, nec Principi vi resistant, sed precibus exorent & mitigare studeant, cum nec naturale nec divinum jus ullam ipsis in Principis personam concedat licentiam Grot. *L. 1. c. 4. §. 12. seqq.* Obtemperandum quidem non est Principibus, si contra Legem divinam aliquid imperent, c. *Julianus. 94. caus. 11. qu. 3.* Knipschildt. *L. 6. c. 2. num. 4.* magis enim timere debemus eum, qui animam cum corpore, quam qui corpus solum occidit; sed non ideo contra regiam potestatem & regem insurgere oportet, conf. *I. Petr. II. 18.* & Lactant. *Lib. 5. divin. instit. cap. 20. p. m. 391.* maxime personæ regis est parendum. Grot. *L. 1. c. 4. §. 7. n. 6.* Conf. S. R. I. *Jus publ. a Clariss. Westph. J. C. tis congest. Vol. 1. pag. 32.* Camer. *Cent. 3. c. 7. in fin.* & Gerhardi apud Arum. *Discurs. Acad. 31. quest. 6.* Forstner. in *not. ad Lib. 1. Annal. Taciti p. m. 27.* non immerito in

AC 25. 158

in hoc controversiarum genere temerarium & intutum esse dicit pronunciare, securissimam interim esse Taciti sententiam: Bonos Principes optandos, qualesunque non aliter ac sterilitatem, hyemem, cœteraque naturæ mala tolerandos.

### X.

Quod si tamen diversis jam sectis repleta sit magna pars Reipubl. cum etiam, quod multitudo delinquit, inultum esse solet, vel si proceres regni in religione dissidentes de potestate participant, aut Superior per Leges fundamentales, se ad diversarum religionum tolerantiam obstrinxerit, tolerandi potius sunt dissidentes quam ejiciendi, modo magistratui obtinerent, oneraque civilia æque ac alii non inviti subeant. Turbis quoque ac rixis, quæ ex diversitate religionum oriri possunt, uti modo dictum est, facile obviam iri potest, si scil. magistratus nudum inter utrosque tenet gladium, & neutram in partem eum inclinat, nisi ut plectat omnes autores tumultuum seditionis & factionis, neutrique parcat, siquidem politice loquendo cultus religionis per se minime affert mutationes & perturbationes rerum publ. bene constitutarum, sed eæ incidunt, dum magistratus inveteratam opinionem absque discriminatione rejectis reliquis per vim pertinacius foyet & tuetur. Camer, Cent. I. c. 58.

### XI.

Sane igitur e re salutis publicæ est, ut religionis cultus præsertim in tali rerum statu, ubi citra maximam societatis humanæ violationem una retineri nequit, unicuique relinquatur liber. Hinc etiam, cum olim ob dissidium religionis tota fere Germania bellis intestinis flagraret, unicum fuit remedium Sanctio saluberrima, de libero tam Protestantium (prout Principes ac Status Aug. Conf. addicti appellari consueverunt Thuan, Lib. 1. Histor. p. 16. col. 1.) quam Catholicae religionis exercitio per-

D

mit.

mittendo, quo motus Germaniae fuerunt sedati, bella intestina extinta, animi Ordinum inter se reconciliati, pax dulcissimæ nostræ patriæ restituta, & Imperio, quod multis modis extreme periclitabatur, pristinus vigor redditus. Bernhard. Bertram.  
*In Dissert. de Pac. Relig. apud Arum. Discurs. Acad. 25. th. 11.*

**XII.**

Ceterum Protestantes nunquam sub prætextu Evangelicæ libertatis Legibus & obedientiæ erga magistratum in politicis, cuius Papa Adrianus VI. in publico Imperii conventu An. 1523. Noribergæ habito eos arguit, sese subtrahere nisi sunt, sed latenter errores, quibus vetus Religio, prout vocatur in variis Constitutionibus Imperii, adspersa erat, tollere studuerunt.

**XIII.**

Modo dictus Pontifex ipse agnoverit, & per Nuncium suum in dicto conventu contestatus est, multa perperam Romæ fieri, ac vitia manifesta, quæ tolerari diutius aut dissimulari non possint, a summo sacerdote ad inferiores derivata reprehendi. Sleidan. *sub init. Lib. 4.* Eadem confessio a multis Scriptoribus pontificiæ partis repetita est : Sic inter alios Schüz. *cit. tract. & loc. scribit :* Incongruum enim mihi semper visum est, eos, qui ex nobis, hoc est, nostra forte culpa & scandalo dato, ab unitate veræ fidei exciderunt &c. Nihilominus Pontificii omnem omnino reformationem recusarunt, nec libertatem religionis concedere voluerunt, id quod maxime edocet Edictum illud Wormatiense gratiam Pontificis aucupandi causa An. 1520. promulgatum, vid. Thuan. *Lib. 1. histor. p. m. 8. col. 2. & Decretum An. 1529.* Spiræ procusum, Sleidan. *Lib. 6. n. 36.* nec non Epistola Pontificis ad Cæsarem ob R. I. An. 1544. Spiræ factum, quam refert d. Sleidan. *L. 16. n. 1.* ut & responsonem Lutheri ad istam. *num. 14.*

**XIV.** Imo

XIV.

Imo postea ipsam Pacem religiosam quidam acerrime perstringere, & sinistre ac perverse interpretari ausi sunt, quasi ista non esset perpetua, sed temporalis quedam tolerantia vi extorta, uti ex scriptis eorum patet. Prae aliis hic nominandus est Liber de *Autonomia oder von Freystellung mehreren Religion und Glaubent.* vid. ejus Part. 1. c. 3. 4. & passim, cuius autor, uti inscriptio indicat, Franciscus Burgkardus V. J. D. & Electoris Colonensis quandam Cancellarius, qui ipsi Paci Religionis interfuit. Inde hoc de libro, ut & de eo, qui compositione pacis Autoribus JCtis Dillingensibus inscribitur, questi sunt Status Protestantes, gravaminibus Osnabrugæ, dum de pace ibi tractaretur, exhibitis, & quidem gravamine VI. v. Adami *Relat. histor. de Pacificat. Westphal. Lib. 1. cap. 8.* In hac deinde Pace Osnabrugensi Anno 1648. confecta, denuo religioni Protestantium prospectum, pax religiosa paulisper mutata & magis perspicua in quibusdam redditam est.

XV.

Inter beneficia vero, quæ, dictis sanctionibus Imperii nostri Germanici præcipuis religionem concernentibus, mediatis Imperii membris liberaliter indulta sunt, facile principem locum obtinere potest beneficium emigrandi, quod in libertate, alterutram vel quam vocant Catholicam, vel Augustanam Religionem, quibus in Instr. P. W. juncta est Reformata, in toto Romano-Germanico Imperio citra cujusque impedimentum & offensionem amplectendi & profitendi, vel pro liberiore suæ fidei cultu alio rerum fortunarumque suarum domicilium ponendi atque emigrandi consistit. *Cran. de P. R. Part. 2. in princ.*

XVI.

Scil. ex pace Religionis plerique indistincte defendant, hoc  
beneficium esse liberrimæ voluntatis, etiam in iis, qui nun-  
quam

quam exercitium religionis suæ nec publice nec privatum habuere, id quod etiam probatur ex vocula: **Wollten.** in artic. **Wo** aber unsere, qui enim ad faciendum aliquid compellitur, voluntarie facere non dici potest. arg. **I. novissime.** 7. §. 1. ibi: **quid si compulsus.** ff. **Quod fals. tut. addel. velle.** 4. ff. de R. J. Firmiter autem concludimus ex natura oppositorum. **Papinianus** in **I. 1. pr. ff. de off. ejus, cui mand. est jurisd.**

**XVII.**

Porro in d. art. dicitur: Denen soll solcher Abzug ic. gegen ziemlichen billichen Abtrag der Leibeigenschaft und Nachsteuer ic. minus æquum autem esset, in casu coactæ ejectionis gabellam vel simile quid exigere. Imo totus hic articulus in favorem subditorum est positus; Ergo in eorum odium minime detorquendus. **I. 6. C. de LL. c. 61. de R. J. in 6to. I. 25. de LL.** Ipsi Camerales illum interpretati sunt de voluntate, non de coactione emigrationis. **Cortrej. in obser. ad P. R. art. II. Myler. de jur. stat. imper. c. 83. §. 4. c. 85. §. 4. Mindan. de process. L. I. c. 30. n. 2.**

**XIX.**

Deinde in art. **Damit auch ic.** Jurisdictio Ecclesiastica adversus Augustanam Confessionem & ipsam Religionem suspenditur; ergo & effectus ejus v. g. coactio ad fidem, multa, pena, aut ejectio ob causam fidei cessabunt, & quidem erga omnes fidei Evangelicae socios, proprios etiam subditos, vid. Thilmann. **de Benignis Observat. supplic. Centur. 2. observ. 50. vot. 12.** Unde & subditis contra suos magistratus super hac Constitutione Processus in Camera decerni præjudicis confirmat Blum. in Proc. Camer. Tit. 78. §. 66. Conf. R. J. noviss. de Ao. 1654. §. **Wir sezen und ordnen auch 193.** Insuper pax publica sive profana & religiosa pari passu ambulant,

ac

ac illa huic accommodatur, Thilm. *de Benign.* c. l. indeque  
hæc super illa fundata dicitur testantibus id ex Rosacorb. Bern-  
hardo Bertram d. l. th. 43. Knipschildt. L. 2. c. 3. n. 164. &  
autore des kurzen Begriffs der fundamenten / warum man  
die Catholische zur Ejection ihrer Evangelischen Unterha-  
nen nicht befugt zu seyn erachtet / quem sicut Cortrejus d. l.  
Illa vero æque ad mediate ac immediate Imperio subjectos  
pertinet; ergo & hæc, & quidem immediate, h. e. non per  
consequentiam saltem & propter suos Dominos (ut vult Autor  
Avtonomiae p. 3. c. 27. p. 156.) sed per se & primario, diverso  
tamen & alio modo quam status.

## XIX.

His enim (ut & Nobilibus immediatis, Multz. loc. cit.  
n. 215. etiam in rebus Feudalibus, quas tenent ab alio statu  
Imperii, Bidenbach *quest. nobil.* 2. Myler. c. 84. §. 6. Cran.  
cit. tr. P. 1. probl. 1. Mindan. *de process.* L. 1. c. 32. Sect. 2. n. 2.  
Cortrej. d. l. ad art. 13. etiam eo casu, ubi mero parent Imperio,  
ex sententia cit. Bidenb. *quest. nobil.* 3.) mutandæ ac  
introducendæ religionis jus atque potestas veluti quædam ter-  
ritorii sequela tam ratione rerum quam personarum compe-  
tit, ita ut ipsis non modo quamvis ex dictis religionibus sequi  
& amplecti, verum etiam in suis terris seu ditionibus Eccle-  
sias reformare, iisdem suæ Confessionis ministros præficere,  
& ceremonias ritusque Ecclesiasticos mutare integrum & per-  
missum sit: Subditis vero statuum id ipsum permisum non est,  
sed citra vel Domini vel alterius invidiam in loco domicilii  
commorari, & libertate conscientiæ privatim frui queunt.  
Knipschildt. d. l. n. 162. Thilmann. *de benignis* d. l. vot. 10.  
Myler. c. 85. §. 3.

## XX.

Cum etiam ex scopo ac fine negotia optime cognoscantur,

D 3

certe

certe scopus pacificationis religiose demonstrat, subditos sub illa pariter comprehendti, quippe qui fuit, ut tranquillitas in Imperio conservaretur; ubi enim eadem ratio, ibi idem ius.  
*I. illud 32. ad L. Aquil.* Hinc porro dictæ Constitutionis intentio erat, animos statuum & subditorum reconciliandi, ne scil. subditi metu violentiæ a magistratu sibi propter religionem expectandæ, aliquid contra eundem molirentur, & e contrario magistratus metu subditorum aliquid contra eosdem agerent. vid. R. I. de Ao. 1555. §. In solcher vorgezogener 13. ibi: daß die Stände und Unterthanen sich beständiger gewisser Sicherheit nit zu getrostten/ sondern für und für ein jeder in untrüglicher Gefahr zweifentlich stehen müßt. Solche nachdenkliche Unsicherheit ausszuheben/ der Stände und Unterthanen Gemüther wiederum in Ruhe und Vertrauen gegeneinander zu stellen xc.

## XXI.

Hæc nostra sententia denique & in aliis Constitutionibus præcedentibus fundatur, præcipue in R. J. de An. 1530. §. Und nachdem wir in unsern. 60. ubi Evangelicorum subditis Catholicis liberum conceditur emigrandi beneficium; Ergo nec nobis denegandum erit ex identitate rationis, ac permissione utriusque religionis in Imperio, item ex regulâ: Quod quisque juris in alterum statuit, eodem jure ipse utatur. Quis enim aspernabitur, idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit. *I. 1. & tot. tit. D. quod quisque jur.* adde quoque R. I. de An. 1542. §. Und damit im Heil. Reich 131. & de An. 1544. §. Als wir aber in den Handlungen. 82. item Declarationem Regis Ferdinandi An. 1555. d. 24. Sept. Protestantibus datam, quam vide apud Cran. d. tr. & apud Autorem Autonomiæ P. 1. c. 6. Merito autem Leges posteriores ad priores non contrarias referimus. *I. sed & 28. ff. de LL. I. sanctio. 41. ff. de pæn.*

## XXII.

***XXII.***

Catholici quidem ex dicta Declaratione Ferdinandeae evincere contendunt, in P. R. haud interdici, subditos diversæ religionis cogere ad emigrandum, cum alias speciali Decreto non fuisset opus, vid. Autor. Avton. P. 3. c. 32. p. 207. Hujus interim valorēm subvertere anxie allaborant, imo & fidem ac veritatem ejus in dubium vocant vid. d. Aut. Avton. P. 3. c. 33. 34. 35. 36. Verum istud non loquitur de nuda facultate manendi, sed de concessione exercitii publici: Ejus validitatem adstruunt Cortrejus d. l. & Cran. P. 2. *probl. 9.* quantum ei tribuerit Maximilianus II. apparet ex Decreto ejus d. 25. Augusti An. 1576. edito, quod exhibit Goldastus *Reichssatzungen xc.* p. 297. & maxime inde. quod ipsem id in provinciis suis servarit.

***XXIII.***

Plura hac de re, ut & argumenta, quæ in contrarium aferuntur, videre licet apud jam passim citt. Autores. Paucissima horum breviter saltem attingam: Inter alia scil. pro stabilienda opinione sua afferunt art. Es soll auch kein Standt. ubi coactio subditorum alienorum prohibetur, & a sensu contrario concludunt, coactionem propriorum permitti, alias etiam clausulam, ne quis subditos alienos in tutelam seu patrocinium suscipiat, fore frustraneam, & elusoriam, jungunt deinde R. I. de Anno 1526. §. Demnach haben wir. 4. qui cujusque partis arbitrio subditos relinquit. Verum hanc argumentationem a contrario sensu, articulus immediate subsequens evertit, qui etiam de propriis subditis loquitur.

***XXIV.***

Praeterea urgent in pace religiosa fere semper Statuum tantum fieri mentionem, non subitorum; sed libenter fatemur, frequentiorem fieri statuum mentionem, & id facile causam

sam habet in parte nimirum hujus negotiis, quæ in Statibus consistebat: nec istud nobis officit, dummodo nobis constet, subditorum etiam ea parte meminisse Principes, qua salutari auxilio indigebant, licet id semel tantum fuerit factum. Cran.  
P. 2. prob. 1.

### XXV.

Denique ex actis Comitiorum de Anno 1555. sententiam suam stabilire satagunt, ex quibus constat, status Catholicos illi postulato, quod diversæ fidei subditis, qui exercitium religionis publicum antiquitus habuerunt, illud & in posterum, reliquis vero privata saltem libertas fidei & conscientiæ permittatur, semper contradixisse; Verum non est respiciendum ad id, quid una vel altera pars petierit, vel non, & in quid ab initio consenserit vel non, sed attendi debet, quid demum approbatum & statutum sit, scimus autem, pacem religionis facultatem emigrandi in subditis, non facultatem ejiciendi in magistratis admittere; Igitur si hæc non pro tacite denegata, nec tamen pro concessa haberi potest. Cortej. d.l.

### XXVI.

Hæc controversia tam mire agitata tandem in I. P. W. paulo pleniores decisionem obtinuit, neque tamen ideo omnis difficultas sublata est. Dubio quidem res caret, quoad eos, qui An. 1624. vel publicum vel privatum religionis exercitium habuerunt, non autem æque in illis, qui dicto anno eodem non gavisi sunt, sive qui post pacem Osnabrugensem religionem mutarunt: nam §. 34. articuli V. d. Instr. Pac. Westph. vult, tales patienter tolerari, in §. 36. vero plane contrarium existare videtur in verbis: aut a Territorii Domino jussus fuerit.

### XXVII.

In explicandis ac conciliandis hisce §§. maxime variant Autores. Schüzius in Man. Pac. qu. II. verba d. §. 34. patienter

ter tolerentur, & conscientia libera domi devotionis sua vacare non prohibeantur, hoc modo esse limitanda censet: nisi emigrare cogantur, aut sua sponte voluerint, ita ut §. 34. præscribatur Dominis, quid eis faciendum, dum subditi in loco manent, neque sponte aut jussu Domini migrant, §. verò 36. indicetur, quid subditis concessum, seu voluntate seu necessitate abituri. Hanc in sententiam eunt Ferdinand de Buckisch ad I. P. art. 5. observ. 99. Blum. in Proc. Camer. Tit. 28. §. 44. & Dn. ab Henniges in medit. ad I. P. art. 5. §. 34.

## XXIX.

Ast alii hanc expositionem, quippe quæ, quod in §. 34. subditis una manu datum esset, in §. seq. 36. altera manu ipsis eriperet, cum tamen, quæ pro utilitate hominum introducta & indulta sunt, potius extensivam quam restrictivam interpretationem requirant, l. 25. de LL. l. 3. de constit. Princ. tanquam nimis rigidam improbat, & in mihiorem sententiam inclinantes jussum Domini, de quo in §. 36. cum Knipschildt. d. l. num. 165. subintelligunt gravissimis causis munitum; dicunt scil. tum demum subditos emigrare a Domino territorij juberi posse, si quiete & tranquille non vixerint, vel delictum aliquod commiserint, propter quod emigrare teneantur. & exilio multari possint. Confirmare asserunt hanc sententiam verba finalia §. præced. 34. ibi: in cæteris officium suum cum debito obsequio & subjectione adimpleant, nullisque turbationibus ansam præbeant; Sequentia enim interpretationem accipere & declarari debere ex præcedentibus, quando unum se habet respective ad aliud, & se invicem habeant per ordinem necessarium, ne resultet intellectus contrarius & absurdus; cum Doctoribus, quos allegat, evincit Cortejus d.l.

## XXIX.

Ast nec hanc explicationem locum habere vel inde apparet, quod emigrantibus coactis laxus ad emigrandum indulgetur

geatur terminus, ac testimonium honestæ vitæ porrigidendum sit, quod non constitutum esset, si de subditis A. C. in Catholicorum terris male versantibus in Tractatibus pacis mens fuisse; Hos enim juste absque mora & præficiendo termino ejusceret liceret, nec de testimonio integritatis eorum disceptandum foret diu, quos perverse vixisse in aprico esset. Conf. Multz. d. l. n. 224.

### XXX.

Hinc Heydenus Borromaeus *in not. ad Schüz d. l. de illis* faltem, qui post publicatam pacem religionem mutant, *in §. 36.* dici putat, quod a Domino Territorii juberi possint, ut inviti exeant. Si enim, inquit, mentem & intentionem summorum paciscentium respicimus, semper major apud ipsos videtur favor fuisse eorum, qui ab Anno 1624. diversam professi sunt a Territorii Domino religionem, & ex his natorum, quam illorum, qui noviter post pacem publicatam religionem mutarunt. Verum hoc adhuc restat dubium, quod nempe & illis terminus ad emigrandum & quidem major præfixus sit, quod hac ratione supervacaneum esset.

### XXXI.

Cortrejus itaque alia via incedit, & probat, coactiōnem ab emigratione subditorum semper abesse debere, nisi ipsi fesse ad abitum voluntarium semel offerrent, & postea illum detrectare vellent, utpote in quo Plenipotentiarii Suecici, cunctique Status Imperii Protestantes per omne Tractatum Pacificationis Westphalicae tempus desudarunt, uti acta Pacificationis docent; Certe Adami *in Relat. Histor. de pac. Westph. L. I. c. 14.* testatur: Protestantium in hoc communiter longe firmorem propositi fuisse constantiam, quam Catholicorum. Hinc *in §. seq. 37. d. art. 5.* (in quo terminus emigrationis post multas disceptationes demum constitutus fuit) legitur: Conventum est, ut a Territoriorum Dominis illis subditis,

ditis, qui in patriam redire volunt, terminus non minor praefigatur &c. Nimirum in illis, qui jam tempore hujus pacis diversæ fuerunt religionis, non debet esse minor quinquennio, in his vero, qui posthac religionem mutant, non minor triennio.

### XXXII.

Optima quidem foret conciliatio ipsorum contrahentium, quam & hic esse necessariam inquit Myler. c. 83. §. 4. Interim cum hoc nondum factum sit, nec adeo facile sperandum, haud ineptam ac minus licitam existimabit quis eorum operam, qui hucusque saepius dictis §§. conciliandis incubuere, & quos partim modo retuli.

### XXXIII.

Potissimum vero mihi arridet conciliatio Cortreji, qua efficaciam obtinet & §. 36. in coactione illorum, qui ad emigrationem se se obtulerunt, & postea eandem detrectant, item qui post publicatam pacem cum proposito emigrandi religionem Domini deserunt, & in vigore subsistit §. 34. quod subditi diversæ religionis, qui saepius dicto anno nec publice nec privatum exercitium religionis habuere, nec non qui post pacem publicatam diversam a Territorii Domino religionem profitebuntur, & amplectentur, patienter sint tolerandi, & conscientia libera domi devotioni suæ privatum vacare, in vicinia vero, ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse, non prohibendi.

### XXXIV.

Quaeri hic solet: An ejusmodi subditus etiam privatum religionis suæ exercitium, quod forte in vicinia habetur, frequentare possit, cum in textu nomisi publici mentio fiat? Dicitus Schüz. qu. 11. & Bukisch. obs. 94. id negant; sed Dr. ab Henniges ibique cit. Fritsch. contrarium, & meo quidem judi-

cio , rectius statuunt , argumento a majori ad minus sumto :  
 Nam omni exercitio religionis publico ex natura rei inest pri-  
 vatum , ut illo concessso hoc simul concessum utique intelliga-  
 tur . Nota hic , diversa esse : devotioni suæ privatim vacare ,  
 & privato religionis exercitio gaudere . v. Schüz. qu. 18. & Dn.  
 ab Henniges d.l.

*XXXV.*

Supra dixi , de iis , qui vel in publico , vel privato religionis  
 exercitio Anno 24. quacunque anni parte constituti fuere , rem  
 minus esse dubiam ; Hi nimur illud & in posterum reti-  
 nent una cum annexis , quatenus illa dicto anno exercuerunt ,  
 aut exercita fuisse probare poterunt , quæ particula : quatenus ,  
 modum seu mensuram usus seu exercitii religionis explicat .  
 Neque enim , qui subditi Anno 24. suæ religionis exercitium  
 aliquod habuere , eo deinceps pro arbitrio & sine modo uti pos-  
 sunt , sed eatenus saltem , quatenus dicto anno exercuere . Tur-  
 bati vero aut quocunque modo destituti sine ulla exceptione  
 in eum , quo sæpius dicto anno fuerunt , statum plenarie resti-  
 tuuntur . art. 5. §. 31. 32.

*XXXVI.*

Interim hic obiter notandum , non omnia , eaque levissi-  
 ma , sive cum religione & rebus Ecclesiasticis connexionem ali-  
 quam habeant , sive non , sive indifferentia & meræ facultatis  
 sint , sive non , sive partem quandam principalem exercitii reli-  
 gionis , sive accessoriā & ceremonialem constituant , ad dictum  
 annum esse redigenda . Exempla quædam , quæ contigisse te-  
 stantur Schüz. qu. 10. & Buckisch obs. 90. hic transcribere li-  
 ceat .

*XXXVII.*

Sic v. c. aliquando quæsitus fuit : An Ecclesia Anno 1624.  
 forte deformis , desolata & profanata talis & hodie manere de-  
 beat ?

beat? anne meliorationes interim factæ amovendæ, & vermiculosa antiquata reponenda? an transitus per coemiterium, aliunde pium locum a monasterio civitati, ex mera humanitate, libera voluntate, aut majoris commoditatis gratia Anno 24. forte concessus, hodie propterea necessario concedendus? an denique quis ad continuationem eleemosynæ alterius religionis Ileprosorio, hospitali, vel orphanotrophio ante, in & post An. 1624. ex mera misericordia & charitate christiana, adeoque ex libera facultate dari solitæ, in casu forte recusationis vigore I. P. citatis locis, adigi poterit?

### XXXIX.

Novissimum exemplum nobis sistit civitas Augustana Vindelicorum A. C. a qua, cum exterius Frontispicium Evangelicæ Ecclesiæ S. Udalrico dicatae ruinam minitans, ideo destrui, & de novo exstrui curaret, Prælatus & Conventus ad S. Udalrici & Afræ, restorationem imaginum B. virginis Mariae, S. Udalrici & S. Afræ antea jam ab anno 24. in dicto Frontispicio conspicuarum, vetustate vero consumtarum, adeoque vix amplius apparentium exigere conatur. Confer omnino Acta Comitiorum hodiernorum de Anno 1709. seqq.

### XXXIX.

Sed ut ad rem redeam, ex jam dictis appareat, in his emigrationem esse similiter liberrimæ voluntatis, adeoque Dominum Territorii religionem suam posthac mutantem subditos suos ad eandem noviter susceptam adigere haud posse. Nec obstat, jus reformandi Statibus Imperii immediatis cum jure Territorii & Superioritatis ex communi per totum Imperium hactenus usitata praxi competens, hoc modo, si non prorsus adimi, notabiliter saltem impediri. Hoc enim salvum est, & manet, licet exercitium ejus juris, transactione hac publica, pacis & tranquillitatis conservandæ, & persecutio[n]es ac oppressiones

subditorum vitandi causa, contra subditos A. C. additos, qui suæ religionis exercitium dicto anno habuere, sit suspensum usque ad amicabilem compositionem de dissidiis religionis. Imo potius hoc jus eo confirmatur, quam admittitur, & dantur casus, ubi plenarie exerceri valet. Schüz. qu. 9.

## XL.

An autem ejusmodi Dominus nec publice religionem suam noviter suscepit in territorium suum, ubi per totum annum 24. solum religionis subditorum exercitium publicum viguit, introducere possit? non omnium una, eademque est sententia. Borromeus *in not. ad* Schüz. d. I. negativam amplectitur, & probare vult ex verbis *g. 31. art. 5.* retineant etiam in posterum cum annexis, quatenus illud dicto anno exercuerunt. Quod si enim, inquit, subditi principatus aut regionis alicujus pluries nominato anno A. C. exercitium publicum solitarium & exclusivum habuerunt, illo & in posterum eodem modo gaudere debebunt vi *d. 9.* Concedit tamen, Dominum pro se & aulae suæ ministris aliisve, qui idem cum ipso sentiunt, suæ religionis exercitium in aula sua habere posse, cum hoc solum, si aliud non accedat, exercitio religionis subditorum nihil præjudicet.

## XL I.

Verum alii Domino Territoriali attribuunt jus religionem suam noviter suscepit etiam publice introducendi, huncque in finem vel vacuis Ecclesis utendi, vel novas ædificandi, (modo sit Dominus indubius, nec de jure Territorii & Superioritatis cum aliis controversia, modo etiam sit Dominus solus, & jura Episcopalia habeat, nec alterius status ecclesiæ, ejusve iuribus præjudicet, Schüz. qu. 15. 16.) quando scil. subditi docere non possunt, se illo tempore in juris vel facti possessione fuisse prohibendi, quo minus Dominus ejusmodi quid faciat. Subditi enim ex suo proprio facto, non ex habitu vel statu loci, qualis

qualis anno vigesimo quarto erat, non ex conditione temporis  
jus & actionem habent, dum lex semper & ubique ad exercitium  
& possessionem subditorum respicit. E contrario, cum de  
jure reformati Dominis competente agitur, lex nullius certi  
temporis, vel anni rationem habet, sed edicit simpliciter, nulli  
Statui immediato jus, quod ipsi ratione territorii & superiori-  
tatis in negotio religionis competit, impediti oportere. Ergo  
non satis constat, qua ratione Subditi legem Domino suo dice-  
re possint, ubi nihil est, de quo ipsi in religione sua periclitantur,  
quatenus haec eis per pacem est confirmata. Non negari  
quidem potest, novis acceptis hospitibus & invisis non modo  
turbas, molestiasque metu: imo facile dari posse; sed Domi-  
nus propterea metu & invidia aliorum prohiberi non potest,  
quo minus jure suo utatur. Et vitari incommoda facile pos-  
sunt æquali regimine & administratione juris. Dn. ab Henni-  
ges ad §. 31. art. 5. Confer Dn. Harpprecht. Consil. 12. num. 74.  
seqq. Multz. cit. tract. d. l. n. 228. & Seckendorffs Teutschen  
Fürsten-Staat P. 2. c. II.

## XLII.

Certe si in Lege placuisset, exercitium religionis, quod An.  
1624. viguit, & quatenus viguit, in posterum ita conservari  
debere, ut deinceps neutri parti jus esset, contra statum & ha-  
bitudinem temporis illius vel loci quicquam in quacunque re,  
quod ad religionem spectat, mutare aut novam formam loco-  
dare, vel novis circumstantiis conditionem ejus seu qualitatem  
aliam facere, quem in modum quoque Plenipotentiarii Sve-  
cici circa hunc articulum formulam concepere & Cæsareis ex-  
hibuere; aliud foret. Dictam formulam exhibit Dn. ab Hen-  
niges d. l. ubi simul hanc opinionem præjudicio confirmat,  
causam oppidi Höxteræ contra Abbatem Corveiensem con-  
cernente, quæ causa acriter ventilata & diligenter expensa  
fuit in judicio delegato, datis a Cæsare judicibus Moguntino,

Ful-

Fuldenſi, Brunsvincensi, & Oldenburgico. Hæcce tamen ſaltem in caſu, ſi Catholicus alterutram Protestantium, vel Protestantum quis Catholicam amplectatur religionem, aliud inter ipſos Protestantes, ſi v. g. Evangelicus ad Reformatorum ſacra tranfeat, obtinere, nos edocet art. 7. I. P. v. ſæpius cit. Dn. ab Henniges, & Schiūz. qu. 9.

### XL III.

Sicuti igitur, uti haec tenus pluribus demonstratum eſt, ſubdi ad emigrandum haud cogi poſſunt; ita quoque emigrare volentes retineri vel revocari minime poſſunt, ne ſub prætextu quidem ſervitutis; id quod clare oſtendunt verba ſ. 11. Pac. relig. Wo aber der Stände Unterthanen der Religion wegen aus dero Herrſchafften Landen / Städten und Flecken mit ihren Weib und Kindern an andere Orte ziehen wolten / denen ſoll ſolcher Abzug gegen ziemlichen Abtrag der Leibeigenschaft unverhindert männiglichſt zugeläffen und bewilligt feyn. Neque obſtat clauſula annexa: Doch ſoll denen Obrigkeiten an ihren Gerechtigkeiten und Herkommen der Leibeigenen halber / dieſelben ledig zu zehlen oder nicht / hiedurch nichts abgebrochen / oder benommen feyn / cum testibus ipſis actis, ipſoque tenore laudi Heilbronnensis in controverſia Electoris Moguntini cum Palatino, de qua v. Dn. Vitriar. Inst. Jur. Publ. L. 3. T. 12. ſ. 27. pronunciati die 7. Febr. 1667. jura corporis (Die Leib-Rechte) cum jurisdictionibus nullam communionem habeant, indeque Wildfangii, ſi modo censum corporis præſtent, licite in aliorum Territorio commorari poſſint. vid. Pfeffing. ad Vitriar. d. l. lit. C.

### XL IV.

Jurisconsulti quidem Dillingenses ex dicta Clauſula concludere volunt: inspiciendam eſſe conſuetudinem loci, utrum ea

ea sit, ut Domini Colonum adscriptitium ex Territorio dimittere debeant, si premium redemptionis solvat; si mos sit ex antiquo tempore religionis, ut Dominus adscriptitios se liberae & migrare volentes dimittere non teneatur, adeo, ut illo quidem casu adscriptitius post debitam satisfactionem a Domino detineri nequeat, hoc autem ex libero Domini arbitrio pendeat, utrum adscriptitiis, accepto redemptionis pretio, mīgrandi licentiam dare malit, an vero negare, ac poenis ad religionis exercitia compellere. Verum resolutum est hoc dubium in J. P. W. art. V. §. Conventum est. 37. ubi simpliciter prohibetur, emigrationi sub praetextu servitutis impedimentum inferre. vid. Schüz. qu. 12. & Buckisch. observ. 102. Conf. quoque acta Comitiorum anni nuperi 1712. ibique Memoriale, sō dem Corpori Evangelicorum von Johann Wüsten gewesenem Hochfurstl. Speyer. Unterthan überreicht worden/ sammt beygelegter Rechtlicher Deduction in Religionis Sachen.

## XLV.

Multominus emigrans refractarius, contumax & infamis declarari poterit, adeo ut potius d. articulus eis testimonia honestæ vitæ non esse deneganda jubeat; Neque præcise obligatus est, bona sua immobilia vendere, sed liberum ei est, illa retinere, i. e. dominium, possessionem, usumque eorum sibi servare, atque per ministros administrare, nec non, quoties retenta bona, ut recte currentur, præsentiam nostram ad tempus aliquod desiderant, libere & sine literis commeatus adire, §. 36. art. 5. ita ut hic confiscatio locum minime habeat.

## XLVI.

Non igitur amittunt ejusmodi, sicuti alii discedentes iura ac privilegia prioris domicillii, nisi quatenus & in quantum istis renunciarunt; non tamen hoc posteriore casu exempti

sunt a solvenda decima, sive Censu emigrationis, prout priori capite jam dictum est; interim decimationibus substantiae secum exportatae, plus æquo extensis, i. e. regulariter non consuetis, eos haud prægravari vult d. s. 37. Denique etiam a vinculis servitutis, quippe quæ ipso jure non extinguuntur, ut & ab aliis in I. P. expressis se liberare debent eo modo, qui antiquitus quocunque loco obtinuit. vid. oben angezogene Rechtliche Deduction,

### XLVII.

Cum igitur quis ob religionem jure ac licite emigrare queat, licite etiam invitis prioribus Dominis ab aliis recipi poterit, Cran. Part. 3. prob. 9. Imo fidei socios exules necessario, quantum fieri potest, esse recipiendos, & sine gravi opprobrio non posse deseriri, unanimiter fere omnes sentiunt ob dictum Apostoli ad Gal. VI. 10. Simus benefici erga omnes, maxime vero erga domesticos fidei, junct. 1. Timoth. V. 8. Quod si quis suis & maxime domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior. Accedit utilitas, quæ ex receptione in civitatem redundare solet, quippe quæ eo numerosior fit l. 7. §. 3 ff. de bon. damnar. Non immrito quidem illa Respubl. beata judicanda est, quæ primas & antiquissimas familias maxime conservare studet, nec cives multos temere hinc inde colligit; Promiscua enim admissio turbis maximis ansam dare potest, cum cuique in externis locis minor plerunque esse soleat ad facinus verecundia; ideoque prius recipiendorum, quam admittantur, originem vitam, ac mores esse examinanda, ait Mev. ad Jus Lub. L. 1. T. 2. ad rubr. n. 27. & art. 2. n. 62. seqq. Verum & hoc in præsenti casu observare licebit, & certe profecto, tales ob sacra innoxia excudentes viros esse bonos, non sine causa conjecturatur. vid. Dn. Bartholdi in *Dissert. de Jure Princ. recip. exul. fidei soc.* cap. 3.

### XLIX. Coro-

**XLIX.**

Coronidis loco addo , nonnisi summa cum circumspetione accipiendum , nec in abusum , aut ad defendendam subditorum contumaciam , fulciendamve rebellionem trahendum , extendendum & allegandum esse ; quod quidam asserunt , jure naturæ subditos alienos ad arcendam ab ipsis imperantis injuriam manifestam , quæ æquo nulli probatur , recte etiam in protectionem sumi , imo' armis defendi , eo tamen saltem casu , si illi ipsis arma licite sumere possunt , secundum doctrinam Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 8. c. 6. §. 14. & Hert. in not. quos sequitur Dn. Vitriarius in Inst. Jur. Nat. & Gent. L. 2. c. 25. quest. 9. Hugo Grotius contra de J. B. & P. L. 2. c. 25. §. 8. & Ziegler. in not. arbitrantur , etiamsi daretur , ne in summa quidem necessitate arma recte a subditis sumi , non tamen inde sequi , non posse pro ipsis ab aliis arma sumi.

**XLIX.**

In Germania nostra subditis protectores eligere insciis Dominis haud permisum esse videtur ob A. B. c. 15. 16. R. I. de Anno 1529. §. Wir auch Churfürsten. 10. & de An. 1541. §. Und damit. 26. nisi hoc jus alicui ex præscriptione vel privilegio competat. R. I. de An. 1555. §. Es soll auch. aut urgenterissima aliqua subsit causa in ratione naturali fundata ex mente Andr. Gerhardi supr. cit. quest. 8. & Myler. 6. 18. §. 30. Conf. Wesenbec. Consil. 48. n. 23. cum protectio jurisdictioni ordinariæ nihil adimat , & fiat salva Jurisdictione Domini, c. 18. X. de privileg. Wesenbec. d. l. Mindan. demand. L. 2. c. 14. Gail. 2. O. 54. Wehner. & Besold. verb. Schirmsverwandten.

**L.**

De Imperii Statibus hoc minus dubium est , quod sese scil. in alterius status clientelam conferre queant , etiam non requiri

sito Imperatoris consensu, uti vult Myler. c. 18. §. 19. seqq. & alii. Ast an etiam protectionem peregrini Principis assumere possint? majorem habet difficultatem, cum sit valde periculoseum, & Imperio jam olim saepius & multum nocuerit. v. Capit. Leopold. & Joseph. art. 8. & 9. Hanc materiam juris clientelaris prolixius in præsens tractare, instituti mei ratio non patitur, ideoque lites in illa occurrentes hac vice haud meas facere volui. Lectorem interim Benevolum remitto ad jam allegatos, & Dn. ab Henniges *in meditat.* ad Capit. Joseph. art. 8. & 9. ibique citatos. Ego vero pedem hic figo, ac Tibi, Rex magne Olympi! pro clementissime concessa huic labori meo gratia Tua devotissimas ago gratias; Nomen Tuum sit benedictum in Sempiterna Secula!



Ver-

V Ertere firma solum pietas , non  
vertere mentem

Svadet; nec medium hoc fleibile  
jura negant.

Hoc dum more Tuò solidè dederis,  
Amice,


Et Themis & Pietas præmia lar-  
ga dabunt.

*Sic suo a teneris amico & perpetuo  
commilitoni,  
Summos in Utroq. Jure Honores  
ex animo gratulatur,  
uberrimosq. fructus eorum & felici-  
tatem ex voto florentem  
apprecatur*

C G. Wölfer / Dd.  
Reip. Pat. Consil. & Adv. Ord.

F 3

Dul-



**D**ulcius esse nequit quicquam, quam mente quieta,

Consueta à teneris Lege timere  
Deum:

Nec patitur vim firma fides, potiusque mi-  
grare  
Ex patria statuet, quam temerare si-  
dem.

Hac dum Tu miserum pia jura resolvis,  
Amice,

Doctrinæ fructus cum pietate pro-  
bas.

Gratu-

47.

*Gratulor : utque brevi majora brabea se-  
quantur*

*Plenaque prosperitas , mente manuque  
precor.*

Hæc  
obseruantiae amicitiaeque causa  
adjecit

M. C. WOELCKER.

**R**eligione salus, libertas, vita tene-  
tur.

Fortius haud quidquam pectora  
nostra ligat.

Ne cegas quemquam, priscum depo-  
nere cultum

Indemnem potius sponte migra-  
re sine.

Nunc

SC 48. 158

Nunc ea dum tentas justa disquirere  
lance  
En Tibi sacra Themis summa  
brabea parat.

*Germanus Germano  
amore ac fide germana  
gratulabundius adscribebam*

GEORG. SIGISM. PRAVN.








Altdorf, Diss., 1714  
X. 234491





Farbkarte #13

DISPVVTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**BENEFICIO EMI-  
GRANDI OB RELI-  
GIONEM,**  
SECUNDVM MANVDVCTIONEM  
PAC. REL. ET INSTR. PAC. WESTPH.  
QVAM  
**JEHOVA JUVANTE,**  
EX DECRETO  
*MAGNIFICI ET INCLVTI*  
**JCTORVM**  
IN CELEBERRIMA NORICORVM  
VNIVERSITATE  
ORDINIS,  
PRO  
SVMMIS IN VTRQVE JVRE  
HONORIBVS AC IMMVNITATIBVS  
RITE OBTINENDIS,  
PVLICAE AC PLACIDAE ERVITORVM DISQVISITIONI  
SVBJICIT  
DIE MAJI, AN. MDCCXIV.  
**SIGISMVND. FERDINANDVS**  
NORIMB.  
ALTORFII,  
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI

